

Johann Fecht


**Rector Academiae Rostochiensis Joannes Fechtius, D. P. P. Ser. Principis
Consistorii Consiliarius Et Distr. Rostoch. Superintendens, Facult. Theolog.
Senior Et Hodie Decanus, Cives Academicos Ad Dona Pro Donis In Prima
Pentecoste Effusis Alia Spiritui Sancto Adferenda, Devota Mente Excitat Et
Hortatur**

Rostochi[i]: Typis Joh. Wepplingi[i], [1709?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838874674>

Druck Freier  Zugang





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1838874674/phys_0001



ZB ME
05. A. 300

● entsäuert

Med. h.
2956

0
RECTOR

ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

JOANNES FECHTIUS.

D. P. P. SER. PRINCIPIS CONSISTORII CONSILIARI-
US ET DISTR. ROSTOCH. SUPERINTENDENS, FA-
CULT. THEOLOG. SENIOR ET HODJE
DECANUS,

CIVES ACADEMICOS

AD

DONA PRO DO-
NIS IN PRIMA
PENTECOSTE
EFFUSIS ALIA SPIRITUI
SANCTO ADFERENDA,

DEVOTA MENTE EXCITAT

ET

HORTATUR,



ROSTOCHI, TYPIS JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC.
& ACAD. Typogr.

1709 Paf

47
116



Æcerat admirabilis & rationi humanae obstupescenda Divinae providentiae dispositio, ut, quid singulae S. S. Trinitatis personae per arcanam quandam oeconomiam generi humano donorum beneficiorumque; conferre in arcano aeternitatis consilio decreverant, id peculiari quadam ad extra oeconomia & solennitate aliquando manife-

starent. Nam & Pater in solemnibus ad Jordanem comparitione actu equidem augustissimo, ipso ad exornandum majestatis summam splendorem assistente Spiritu Sancto, Filium suum unigenitum, donum infinitum & imensum & cum eo, quicquid usquam munerum bonorumque; quicquid officiorum beneficiorumque; excogitari potest, universo mundo in ipso praesenti Filii sui corpore, seu, ut hodie loquimur, Personam, coram ostendit, obtulit & donavit. Quomodo enim cum Filio suo, in quo omnis inhabitat Divinitatis plenitudo, omnesque; sapientiae Divinae thesauri, non omnia, non universa, non maxima minimaque; nobis donaret? Jam secunda SS. Trinitatis Persona, Filius Dei, cum jam officii sui cursum propemodum contecisset, rationem peracti muneris sui Patri redditurus, in publico sub caelo loco consistens, inque; omnium non Apostolorum tantum, sed & discipulorum oculis atque; conspectu sese praesentans, sublatis ad caelum oculis, solennissimam asseveratione testatur atque; proclamat, peregrisse se, quod impositum a Patre ipsi fuerit, grande & stupendum toti mundo negotium, devictum esse Satanam, deletum esse peccatum, proculcatam esse mortem, eversum esse tenebrarum regnum, reclusum esse Paradisum, viam ad caelum esse reformatam, apertas esse gratiae Dei fores, expandere manus suas DEUM Patrem, nosque; ceu filios.

filios suos amoris sui impensissimi brachiis amplexurum esse. Atq; eo ispo quoq; quantorum beneficiorum, in genus humanum profluentium, ipse Filius causa atq; origo post Deum Patrem factus fuerit, augusta splendidaq; Panegyri est patefactum. Omnium maximè vero tertia SS. Trinitatis persona, Spiritus S. colophonem his festiuitatibus impositurus, in primâ N. T. Pentecoste, majore, quam cœteræ omnes apparatu, pompâ, splendore, dona sua atq; charitâta, partim in Apostolos effusa, partim quorum postea uniuersum Christianorum gregem participem facturus erat, ebuccinavit. Mane enim, coorto è cœlis fragore, tanquam impetuosi turbinis, domum Apostolorum penitus replevit atq; concussit, ut rei novitate atq; miraculo commoti undiq; ad rem novam atq; prodigiosam ex omnibus urbis partibus quasi facto signo concurrerent, cives, peregrini, incolæ, advenæ, magni, parvi, Judæi, Græci, & uniuersæ omnium populorum nationes. Comparebat Spiritus S. minutularum flammularum, vel capitibus Apostolorum vel linguis insidentium, specie, loquebantur omnium sub sole gentium linguis, eloquebantur magnalia Dei, à Patre prudenti consilio parata, à Filio ingenti nisu in effectum deducta. Ostendebat, impletas esse veteres prophetias, viam ad salutem expeditam planamq; factam esse, non unum amplius alterumq; mundi angulum, sed omnem, quâ latè patet, orbem ad percipiendos gustandosq; Divinarum deliciarum thesauros, undiq; advocandum esse, mella Divinæ notitiæ, æternarum deliciarum gustum præbitura, propinanda uniuersis esse, mundum Divinâ gloriâ, tanquam suavissimo odore, humanum genus gaudiis tripudiiq; omnem fidem superaturis, implendū esse, dæmones, hominum seductores, æternâ confusione & animorum perturbatione induendos esse, angelos in bonorum præsidium, malorum coercionem

tionem deputandos esse. Horum tantorum beneficiorum munerumq; amplissimã *ἐξέλευσιν* in primã N. T. Pentecoste dabat Spiritus S. ad quam & Judæi & Parthi & Elamitæ & Medi, & qui inhabitabant Mesopotamiam, Pontum & Asiam, Pamphyliam & Phrygiam, Lybiam & Cyrenen, Romani deniq; , ut & Cretes & Arabes, bibituri de fonte salutis , omnibus aperto, cupidissimi avidissimiq; accurrerant. Ab his & ad nos, extremi mundi incolas, hæc tanta bona derivata sunt, his majore, quam cæteri omnes, mensurã utimur fruimurq; , hæc in nobis & Deum propitium & conscientiarum pacem & animorum in adversis gaudium & spem salutis æternæ atq; immarcessibilis efficiunt atq; confirmant. Quæ cum sancti verbi præcones his ipsis antiquissimi festi diebus ubere nobis copia è suggestis propinent, nos, Cives, ex veteri Academiæ nostræ more & instituto nostri potissimum officii, erga tantum beneficiorum Divinorum cumulum, Deo præstandi, admonendi sumus. Et quidem illud ipsum non reticuit nobis is ipse, qui beneficia nobis Divina ebuccinavit, Spiritus. Ut enim Deus Pater, tanquam prima Divinitatis Persona, non exundantissimum tantum affectum suum, in mittendo unico salutis nostræ deposito, Filio suo, demonstratum, sed & quid quantumq; pro tanto amoris sui infiniti & inexplicabilis documento, à nobis requirat, simul manifestavit, nempe ut qui primus nos amavit, eundem & nos redamemus & qui infinitum pretium salutis nostræ constituit, eidem infinito debito obligati simus. Utq; secunda Divinitatis persona, Filius Dei, non pretium tantum redemptionis nostræ, innocentem atq; immaculatum sanguinem pro nobis suum effudit, sed & eo ipso in peculium nos suum sibi *ἐξέμισθωσιν*, acquisivit, ut nunc ceu *πρὸς ἀγορῆς* *δένται*, pretiosè coempti, ipsiusq; quasi servi lubditiq; facti eidem *serviamus in sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus*

diebus vite nostrae: ita nec tertiæ Trinitatis Personæ, Spiritui S. minore vinculo sumus obstricti. Is verò quid à nobis pro immensis innumerisq; donis suis requirat, quidq; in nobismetipsis, si ductui ipsius obsequamur, efficere velit, Paulus memorabili sententiâ exprimit, cum fructus Spiritus quos in nobis ad gloriam suam operaturus sit, longo ordine enarrat, interprete Schmidio: *fructus Spiritus est, dilectio, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, beneficentia, fides, mansuetudo, temperantia.* Quibus cum Spiritus Sancti indoli atq; naturæ nihil sit convenientius, in iis easdem exprimi, sibiq; per illas conformes reddi exoptat, quotquot donis muneribusq; antea suis exornavit. Quoc; majora in quemlibet nobilioraq; dona profudit, eò exactius quoc; obsequium, voluntati suæ præbendum, requirit. Qui in Academiis vivimus, O Cives optimi, ipsum quasi domicilium, ipsam Spiritus Sancti officinam inhabitamus, in qua dona muneraq; sua, rerum sacrarum profanarumq; , ad integrarum terrarum atq; provinciarum, imò regnorum & imperiorum salutem & incolumitatem tendentem, notitiam, artes regnandi, Ecclesiarum gubernandarum sapientiam, Christianæ vitæ exactius ducendæ studium, morum optimorum pulcerrimorumq; doctrinam, rerum naturalium & Mathematicarum ad incredibilem animi oblectationem & multiplices in humanæ vitæ negotiis usus facientium scrutinium, singulari prorsus mensurâ copiâq; profudit. Quantum præ vulgo, rogo vos, eminetis? Quid prærogativæ præ simplici popello & vulgari hominum sorte possidetis? Ipsi hoc vel vestium splendore, vel eloquendi concinnitate, vel morum gestuumq; decore, quibus à reliquis omnibus studiosè vos fecernitis, prodere nequaquam intermittitis. Itaq; pro tantis donis muneribusq; , quibus præ innumeris aliis excellitis, ne Carnis potius quam Spiritus fructus progene-

A;

retis

retis, omni studio curâq; providete. Fructus Spiritus est dilectio & humanitas, carnis æmulatio, ira, rixæ, bellum, contentio. Quam igitur dedecet Christianarum virtutum, in Spiritus Sancti officinâ effularum, studiosum, si ob leviculas quascunq; causas in bella, in jurgia, in rixas, sæpe eousq; irreconciliabiles, exardescat, ut nonnisi effuso prælenti cum vitæ periculo sanguine, beluini animorum motus conquiescant? Quid verò colligatorum tot unitatis vinculis pectorum concordia & fraterni inter ejusdem officinæ consortes affectus documentis (vavius est & jucundius? Fructus Spiritus est mansuetudo & patientia, Carnis livor & invidia. Quæ cum moderatione inter ejusdem reip. cives aguntur, conciliandis etiam rigidorum animis apta nata sunt factaq;. Est enim ἐν τῇ χηρῆτι καὶ ἀγαθωσύνῃ infixus arcanus quidam stimulus, qui etiam τῶν ζηλωτῶν καὶ τὸν θυμὸν ἐχόντων inclinatas ad acridinem & iracundiam mentes velut lene medicamentum inflectere consuevit, ut cum pars altera agitur ad furorem, & ob quancunq; causam, titivilitio levior, ira & vindictæ cupiditate veluti bufo tumet, visâ alterius benigne, quâ quasi de jure suo cedit, subito deservescit & mansuetos induit mores. Quæ virtus Spiritu S. impletis quasi propria est et iam in V. T. leni illâ aurâ ventoque, qui Eliam aliquando adflavit, adumbrata. Fructus Spiritus est continentia & castitas, Carnis lascivia & impuritas. Quo nempe impellente juveniliū annorum pruritu in immundos tædosq; amores ipsâ naturæ indole proiores sumus, eò impensius sequendus est, suppressis carnis concupiscentiis, ductus Spiritus. Majoremq; in coercedo refractario hoc corruptæ flagrantisq; carnis motu operam necessariam esse, ipse innuit Paulus, cum virtutum illarum commendatic ni è vestigio subjicit: *qui Christi sint,*
feu

seu qui Christum, in Baptismo indutum, pectori suo firmiter impreserint, exemplum ejus & vestigia presso pede secuturi, eosdem *carnem suam crucifigere cum passionibus & concupiscentiis.* Qui cruci figitur, ita clavis ligno adpressis constringitur & coarctatur, ut membrum humani corporis omnibus vita omnis, motus omnis intercludatur. Ita qui lascivientibus carnis cupiditatibus obicem oppositurus est, occasionem ipsis omnem, quæ ebullire & in actum erumpere possint, præcidere debet. Fructus Spiritus est pax & gaudium, Carnis affectuum omnium inquietudo & perturbatio. Non est Spiritus S. Spiritus tristitiæ & æroris, sed summæ potius lætitiæ, quæ non in labiis tantum vultuq; hæret & exteriora corporis membra afficit, sed intimos cordis recessus fibrasq; penetrat, iisque voluptatem, non mundanam, id est, fallacem, evanidam & in summum tandem mœrorem desituram, sed solidam & constantem adfundit. Cavendum Vobis est, CIVES, ne innocuum hoc & ortum Divinæ origine gaudium cum seculi hujus exultante & gestigente lætitiâ confundatis. Ut in festis aliis, Deo soli dicatis, id nobis datum esse tædâ consuetudine putamus, ut eo ipso tempore liberius licentiusq; quam alio quovis mundanis voluptatibus indulgeamus, Hilariq; non Deo, sed Baccho Cereriq; celebremus: ita nec sancti castique Spiritus festo vulgò parcitur, in vinum aleamq; quique exinde vulgò oriuntur, clamores strepitusq; nonnunquam effundimur & pagano potius quam Christiano gaudio pectora nostra replemus. Impleamus potius pectora nostra Spiritu Sancto, Spiritu veri solidique gaudii, quod in quacunq; tentatione & calamitate consolatione, omnem humanum captum superante, nos perfundere & certos nos immotosq; de Divinâ gratiâ in ipsâ morte reddere potest, cum larvata ista mundi

mundi gaudia in luctu tentationum prorsus evanescant &
pro thesauris carbones relinquant. Sint igitur quotidiana
ad Spiritum S. suspiria nostra cum Poëta:

*Spiritus ô ter sancte veni, propiorq; vibrantes
Structuras emitte Tuae Divinitus aura;*

Quos humiles fervente sui mens pauperat œstro.

Spiritus ô ter Sancte veni, qui munera certis

Dispensas sua cuiq; modis; spem porro fidemq;

Ac carum nobis per mutua suffer amorem.

Disijce pectoribus vitiorum nubila; puris

Ut te vimq; tuam possint sentiscere fibris.

Repimus in tenebris sine te, cum nulla salutis

Nulla opis apparet ratio, tu sola voluptas

Solaneng; malis, illabere cordibus; & cum

Conscia mens noxæ gliscente tumultuat æstu,


Delicium nobis, hospes dulcissime, presens


Luctanti succurre anima, ne forte periclis

Exspes auxilii & rerum omnium egena fatiscas

Sed docilis superare tuo se Numine firmet.

P. P. Rostochii, sub sigillo RECTORATUS Academici ipso Pentecostali Festo, anno MDCCIX,





Barcode
wert
vergeben!

21.7.20


5


33

LBMV Schwerin

004.132.769







in Baptismo indutum, pectoris suo firmi-
exemplum ejus & vestigia presso pedese-
rnam suam crucifigere cum passionibus &
vi cruci figitur, ita clavis ligno adpressis
arctatur, ut membrum humani corporis
is, motus omnis intercludatur. Ita qui
is cupiditatibus obicem oppositurus est,
mnam, quâ ebullire & in actum erum-
lere debet. Fructus Spiritus est pax &
ffectuum omnium inquietudo & pertur-
iritus S. Spiritus tristitiæ & aceroris, sed
tiæ, quæ non in labiis tantum vultuq;
corporis membra afficit, sed intimos cor-
penetrat, iisq; voluptatem, non mun-
cem, evanidam & in summum tandem
n, sed solidam & constantem adfundit.
t, CIVES, ne innocuum hoc & ortum
lium cum seculi hujus exultante & gesti-
atis. Ut in festis aliis, DEO soli dicatis,
tædâ consuetudine putamus, ut eo ipso
centiusq; quam alio quovis mundanis
eamus, Hilariq; non DEO, sed Baccho
is: ita nec sancti castiq; Spiritus festo
inum aleamq; quique exinde vulgò
strepitusq; nonnunquam effundimur
am Christiano gaudio pectora nostra
nus potius pectora nostra Spiritu San-
liq; gaudii, quod in quacunq; tenta-
onlolatione, omnem humanum captum
indere & certos nos immotosq; de Di-
morte reddere potest, cum larvata ista
mundi